

motibus? Quo die infra voluptatem fuerit, et infra dolorem erit.

V. Vides autem, quam malam et noxiā servitutem serviturus sit, quem voluptates doloresque, incertissima dominia, impotentissimaque, alternis possidebunt. Ergo exeundum ad libertatem est. Hanc non alia res tribuit, quam fortunae negligentia. Tum illud orietur inaestimabile bonum, quies mentis in tuto collocatae, et sublimitas; expulsisque terroribus, ex cognitione veri gaudium grande et immotum, comitasque et diffusio animi: quibus delectabitur non ut bonis, sed ut ex bono suo ortis. Quoniam liberaliter agere coepi, potest beatus dici, qui nec cupit, nec timet, beneficio rationis. Quoniam et saxa timore et tristitia carent, nec minus pecudes: non ideo tamen quisquam felicia dixerit, quibus non est felicitatis intellectus. Eodem loco pone homines, quos in numerum pecorum et animalium redegit hebes natura, et ignoratio sui. Nihil interest inter hos et illa: quoniam illis nulla ratio est, his prava, et malo suo atque in perversum sollers. Beatus enim nemo dici potest, extra veritatem projectus: beata ergo vita est, in recto certoque judicio stabilita, et immutabilis. Tunc enim pura mens est, et soluta omnibus malis, quum non tantum lacerationes, sed etiam vellicationes effugerit: statura semper ubi constituit, ac sedem suam etiam irata et infestante fortuna vindicatura. Nam quod ad voluptatem pertinet, licet circumfundatur undique, per omnes vias influat, animumque blandimentis suis leniat, aliaque ex aliis admoveat, quibus totos partesque nostri sollicitet: quis mortalium, cui ullum superest hominis vestigium, per diem noctemque titillari velit, deserto animo, corpori operam dare?

VI. »Sed et animus quoque», inquit, «voluptates habebit suas». Habeat sane, cedatque luxuria, et voluptatum arbiter, impletat se omnibus iis, quas oblectare sensus solent: deinde praeterita respiciat, et exoletarum voluptatum